

Articulus Quartus 1644.

Illud etiam sancitum est: ut divisorii processus, per defunctum Prothonotarium inchoati et indecisi manentes, per successorem in Officio Magistrum Prothonotarium reassummi et debito fine terminari valeant atque possint.

Articulus Quintus 1645.

Conclusum etiam est: ut causae illae, in quibus Vice-Comes Comitatus Crisiensis interessatus esset, ex quo ille Comitatus plures Vice-Comites non haberet, per unum ex Vice-Comitibus Comitatus Zagrabiensis, servatis in reliquo de Jure servandis, iudicari valeant atque possint.

Articulus Sextus 1645.

Licet Domini Magnates potiozem Regni partem possident, nonnulli tamen a Congregatione Regni persaepe se absentant, contra quos statuitur: ut tales, qui sine legitima causa emanent, iuxta Articulos, superinde conditos, convinci et aggravari debeant in poena sancita, et post convictionem executio de Bonis eorundem peragatur.

Articulus Septimus 1649.

Et ne aliqui Regnicolae cursum Juris in octavalibus Judiciis huius Regni, sibi in parte aliqua praeclusum, quaerantur, pro communi idcirco iustitiae Administratione decernitur: ut in causis, per alios contra Magistrum Prothonotarium (qui unicus in hoc Regno est) et per ipsum contra alios in octavalibus Judiciis motis vel movendis, alius in Sede Banali loco Prothonotarii in talibus duntaxat causis substitui et subrogari possit.

Articulus Octavus 1649.

Ad Instantiam et propositionem Reverendissimi Domini Episcopi Zagrabiensis, contra nonnullos haereticae Confessionis homines, Bona, Colonos et Domos in hoc Regno ementes vel habentes, aut quovis titulo possidentes, priores Articuli superinde conditi renovantur, et ulterius declaratur: ut ad effectuationem eiusmodi Articulorum, contra tales haeticos, in singulis Comitatibus Vice-Comes et Judex Nobilium illius Comitatus, ubi Bona per ipsos coempta vel possessa adiacent, ad mandata Domini Bani, comperta duntaxat prius mera rei veritate, procedere possint. Idem etiam in Civitatibus Judex et Senatus Civitatum ad mandata Banalia peragere debeant.

Articulus Nonus 1651.

Litterae Donationales Suae Maiestatis Sacratissimae super Telonio in Toplika sive Toplicza, Venerabili Capitulo Zagrabiensi collatae, cum ea acceptantur conditione, ut ipsum Capitulum strata viarum, et pontes, difficilesque et paludinosos transitus, ibidem in territorio et montibus suis reparare teneatur.